

clarissimum theorema quod astronomiæ & universæ fere physicæ fundamentum est, nempe: *Si corpus describat curvam quantilibet vi tendente ad punctum aliquod in curva datum, corpus illud describet areas circa idem punctum temporibus proportionales.*

Viceversa si corpus moveatur in curva & areas temporibus proportionales circa punctum aliquod describat, urgetur vi tendente ad illud punctum. Etenim si vis alia ad punctum extra S, diversum tendeset, jam directio CD non foret directioni BE parallela, ac proinde triangula BSC, BDS super communem basim constituta, non forent inter easdem parallelas nec proinde æqualia, quod est contra hypothèsim; ponimus enim areas temporibus proportionales esse ac proinde æqualia esse minima triangula temporibus æqualibus descripta. Itaque demonstratum etiam est corpus, quod movetur in curva & areas circa punctum aliquod temporibus proportionales describit, urgeri vi ad illud punctum tendente. Ex hoc theoremate universa pendet attractionis doctrina.

Ex hoc ipso theoremate evidens est velocitatem corporis in diversis curvæ punctis eo majorem fore vel minorem, quo minor est vel major recta a centro virium ad tangentem perpendiculariter ducta; nempe *velocitates sunt reciproce ut perpendicularia e centro virium in tangentes demissa.* Etenim velocitates utrumque variables tempore infinite parvo tanquam uniformes considerari possunt, ob minimum sive infinitesimum velocitatis incrementum vel decrementum. Itaque velocitates uniformes per AB, BD sunt.